

sim, promittendo pensionem quolibet anno, vel retineat expressè rem in pignus quousque solvatur pretium, vel retineat de voluntate emptoris in pignus pro alio debito: nam tunc statim ipso jure transit dominium in eum in quem fit alienatio sine aliquo actu traditionis: ita in specie singulariter Faber. in §. Interdum Institut. de rerum divis. post princ. pro quo est Glossa singularis quam ipse allegat in leg. 1. §. final. in verb. Emeris, in fin. ff. de Rebus eorum. quæ tantum loquitur in pignore retento: & illam Glossam ibi sequitur & approbat Alberic. & Din. & Jacob. de Aretin. quos ipse refert; & illam Glossam reputat singularem Jas. in leg. Traditionibus. Cod. de Pactis. 2. column. in fin. illam Glossam sequitur & commendat Nicol. de Neapol. in dict. §. Interdum, Institut. de rer. divis. idem expressè tenet Faber. in suo Breviar. in dict. leg. Quisquis, in fin. idem tenet Cuman. se habuisse de facto, in leg. 3. de Acquirend. posses. in 2. column. in princip. facit etiam bonus textus in argumento in leg. Quædam mulier, de rei vind.

63 Item etiam infero singulariter, quod dispositio text. in dict. leg. Quisquis, & ejus conclusio non procedit è contra, quando venditor vel alienator reservaret sibi proprietatem rei; ut quia alienaret vel concederet usumfructum, & retenta sibi proprietate: nam tunc non transferretur ususfructus formalis & ejus possessio in accipientem, nisi sequatur traditio, vel quasi; quia hoc casu cessant communes rationes superiores: & in expressò ita probat text. expressus in leg. 3. §. Dare. ff. de Usufruct. ibi: Ad translationem ususfructus & quasi possessionis ejus requiritur indutrio in fundum, vel patientia utendi & fruendi: non ergo sola concessio ususfructus & retentio proprietatis sufficit, per quem in terminis ita tenet Bald. in cap. Cum venisset, fin. column. num. 8. de restit. spoliat. idem Bald. in cap. 1. 2. column. prope finem. Quid sit investitura, in lib. 2. Feudorum, idem Bald. in dict. leg. Quisquis. Cod. de Donationib. & per illum textum ita etiam tenet Ludovic. Roman. in leg. 3. ff. de Acquirend. posses. 1. column. prope finem, & ibi Aretin. 2. column. in fin. Alexand. 4. column. numer. 14. Vincent. 10. column. num. 25.

64 Adde tamen pro intelligentia & declaratione text. in dict. l. Quisquis, & superioris conclusionis, quod ad hoc ut per retentionem ususfructus transferatur dominium & possessio proprietatis, requiritur quod retinens usumfructum possideat & retineat rem pleno jure illo tempore, alias non transfertur, argumento text. juncta Glossa, in leg. Quamvis. §. Si conditor. ff. de Acquirend. posses. ita Angel. de Perus. in dict. leg. Quisquis de donation. ubi etiam dicit, quod

ille qui præterdit possessionem & dominium proprietatis sibi quæsitum, debet omnino probare, qualiter prædicta res pleno jure erat penes alienantem illo tempore; alias succumberet & idem tenet Salycet. ibidem.

65 Item adde singulariter, quod prædicta jura, & communis opinio quæ habet, quod per retentionem ususfructus transit & acquiritur possessio, debet intelligi & extendi ut procedat, etiamsi ille qui retinet usumfructum sit in absentia rei, vel rerum: ita subtiliter probat textus in dict. leg. Quisquis, ubi non constat rem fuisse in præsentia, imò non præsumitur esse, per regulam, quam ponit Anton. in cap. Cum venisset, de restit. spol. penultim. column. numer. 13. & Aretin. in leg. 3. ff. de Acquirend. posses. 2. column. num. 5. Præterea hoc probatur; quia si ibi res esset præsens, visu quæreretur possessio, & frustra interveniret alius actus fictus. Præterea & 3. hoc deduco & probo ex littera illius text. dum dicit, nec quid amplius requiratur quo magis videatur facta traditio, idem probat textus subtiliter consideratus in leg. Si quis argentum. §. Sed si quidem. Cod. de Donation. ubi si quis donat universaliter omnia bona sua, & retineat usumfructum, statim transit possessio civilis in donatarium; & sic aperte colligitur, quod ille actus intervenit in absentia, quia non est præsumendum quod omnia bona sua erant in præsentia: Et si subtiliter replices; ergò tunc bene transfertur possessio civilis in novum proprietarium, quia illam solam retinebat dominus in absentia, tamen non video qualiter tunc remaneat possessio naturalis penes dominum, qui nunc retinet usumfructum, cum nullam habeat in absentia, quia noviter respondeo quod in illo instanti creatur nova possessio naturalis causata & inducta ex retentione & fomento civilis, quæ retinebatur in absentia; & sic idem operatur talis retentio ususfructus ac si fieret in ipsa re præsentia, quæ quidem possessio naturalis cum sit sola, poterit postquam fuit creata retineri in absentia, ut supra suo loco dictum & probatum est: & potest confirmari ex sententia Bartol. qui in proposito bene facit, in leg. Quod meo. ff. de Acquirend. posses. 2. column. num. 5. & ibi communis opinio.

66 Quintus actus vel modus fictus, per quem acquiritur possessio est per conductionem rei: nam si quis vendat, donet, vel alienet rem quam possideat alteri, & ab eo eam conducat pretio determinato, statim quæritur possessio ipsi emptori, donatario, vel ei in quem fit alienatio, & per consequens dominium, vel usucapiendi conditio, & omnes alii effectus qui resultant ex possessione: textus est expressus in leg. Quædam

mulier. ff. de Rei vend. cujus verba sunt: Quædam mulier fundum non marito donavit per epistolam, & eundem fundum ab eo conduxit: posse defendi, in rem ei competere actionem, quasi per ipsam acquisierit possessionem, & illum textum ad hoc notant & commendant ibi Odofred. Bart. Alberic. Bald. Ang. & communiter DD. text. in l. Qui bona fide, infra isto tit. text. in leg. Interdum, §. fin. eod. tit. text. in leg. Servi empt. ff. de Peric. & commod. rei vendit. & idem disponit lex 9. tit. 30. part. 3. & ratio hujus est; quia eo ipso quod venditor vel alienator conducit suam rem ab emptore, vel alio in quem fit alienatio, videtur se constituere nomine ejus deinceps eam rem detinere & possidere; unde merito transit possessio: argumento nostræ legis Quod meo, & istam rationem ponit expressè Glossa ordinaria in dict. leg. Quædam mulier, in gloss. 4. ibi Odofred. Bartol. & Alberic. Abb. in cap. 2. de Consuetudin. fin. col. post princ. & videtur esse communis ratio omnium Doctorum: & istam rationem aperte voluit Bartol. in ista l. Quod meo. 2. column. 3. versic. Secundò pone. ubi dicit, quod idem est constituere se nomine alterius possidere, vel conducere ab eo. Confirmatur, quia colonus vel inquilinus semper recognoscit locatorem ut dominum & possessorem, & semper suo nomine videtur tenere, ut probat casus in proposito notab. in l. Malè agitur, de præscriptione 30. vel 40. annorum. text. in l. Non solum. §. Quod vulgò, in fin. de usucapion. text. in leg. Certè. §. 2. de Precar. text. in l. Si id quod. §. 1. ff. de Acquirend. posses. text. in leg. fin. Cod. de Acquirend. posses. text. in leg. Peregrè. §. Quibus. ff. eodem titul. Secunda ratio & subtilis est: quia cum in re propria non cadat conductio, & sit jus incompatible cum domino, necessariò conducendo transfertur dominium; & cum ipsum non possit acquiri sine possessione vel traditione, possessio ipsa fictione juris censetur tradita: istam rationem ponit solus Angel. de Perus in dict. l. Quædam mulier. in princip. & confirmatur ex his quæ dixi in superiori proximo 4. actu ficto, & ejus ratione. Quam conclusionem & doctrinam declaro isto modo; nam si alienans rem & conducentem habebat utramque possessionem, utramque transfertur in eum, cui fit alienatio, & penes conducentem sola remanet detentatio & custodia, argumento textus notabilis in leg. Officium, versic. Denique. ff. de Rei vind. & in dict. leg. Male agitur, cum similib. Cod. de Præscript. 30. vel 40. annor. si verò sola possessio civilis vel naturalis est penes eum, illa sola transit & quæritur ei cui fit alienatio: ita probat expressè dicta lex Quæritur mulier, in vers.

Anton. Gomez. ad Leg. Tauri.

Veluti, ubi præsupponit, quod mulier quæ ibi donavit & conduxit non erat in fundo, sed absens, & sic tantum possidebat civiliter, & tamen illam transfertur in donatarium: & ita in expressò per illum textum tenet & declarat Bartol. in leg. Quod meo 2. col. num. 3. ff. de Acquir. posses. & sequuntur communiter DD. si verò nullo modo possideat, tunc per conductionem nullam transfertur possessionem in eum cui fit alienatio, argumento text. in regula nemo plus juris. ff. de Regul. jur. & in leg. Traditio, in princ. ff. de Acquir. rer. domin. & in expressò pro hac sententia & conclusione est text. in leg. Quamvis. §. Si conductor. ff. de Acquirend. posses. ubi, si colonus vel inquilinus meus vendit rem meam alteri, & ab eo conducit, non transfertur in eum aliquam possessionem: cujus ratio nulla alia est, nisi quia non possidet: & ita per illum textum tenet ibi Gloss. notab. ordinar. in fin. Angel. Paul. Roman. Aretin. Cuman. Alex. qui hoc valde commendat: pro qua sententia facit text. in l. Pomponius. ff. Quib. mod. ususfruct. amit. quem DD. dicunt notabilem & meliorem de jure in dict. §. Si conductor. & in leg. Qui universas. §. Quod per colonum. eod. tit. & ex hoc inferunt, quod ille qui juvat se ex possessione quæsitam per conductionem rei, tenetur probare possessionem esse penes conducentem tempore contractus: idem tenet Ang. in dict. leg. Quædam mulier. 2. col. in princ.

67 Et ex superioribus infero singulariter, quod si colonus vel inquilinus post mortem domini & possessoris conducit ab hærede, vel ei solvit pensionem, recognoscens eum in dominum, eo ipso videtur hæres acquirere possessionem; quia colonus vel inquilinus videtur velle insistere & habere rem nomine ipsius hæredis, & tamquam ejus procurator, ita probat text. singularis, juncta sua Gloss. final. in l. Qui universas. §. Quod per colonum. ff. de Acquir. posses. ibi tenet & notat Bart. Alb. Paul. Imol. Rom. Cuman. & Aretin. & licet Gloss. & Bart. ibi tantum videantur dicere, quod ex hoc probatur possessio, & non bene aperiunt an ex tali actu censeatur realiter quæsitam ipsa possessio; tamen omnes alii DD. dicunt expressè & tenent, quod censetur acquisita possessio: & in expressò ita tenet Paul. de Castr. in l. Qui bona fide, eod. titul. Bald. in l. Cum notissimi, Cod. de Præscript. 30. vel 40. annor. penult. column. num. 13. ubi dicit, quod caveant hæredes, quia post mortem defuncti non videntur possidere, etiam colono vel inquilino remanente in conductione, nisi conducat ab eo, vel eum recognoscat solvendo sibi pensionem, per dict. §. Quod per colonum, pro qua sententia & conclu-

clusionione facit textus notabilis in cap. Cum venisset, de restit. spoliat. ibi: Perceperunt annuam pensionem, ubi probatur, quod per solutionem pensionis rei donatæ, quam percepit donatarius de voluntate & consensu donatoris, acquirit donatarius illius rei possessionem: & ad hoc notat ibi Gloss. ordin. 2. ibi ad hoc notat & commendat illum text. Abb. 3. column. num. 11. Anton. 3. col. 13. Card. in fin. Anchar. num. 6. Nec obstat si dicas, quod ista conclusio non videtur vera; quia per conductionem ita demum acquiritur possessio locatori, quando ille qui conducit possidet rem, ut supra probavi & conclusi: Sed in casu nostro iste colonus vel inquilinus non possidet: ergo nullam potest transferre possessionem. Quia notabiliter respondeo, quod illud est verum, quando possessio est ab alio occupata: secus verò quando possessio sit vacans, ut in casu nostro, quia res est hæreditaria; quia tunc colonus vel inquilinus per conductionem transferunt possessionem in hæredem, quem recognoscunt in dominum, & statim sibi est quæsitæ possessio: & in expresso ita tenent & declarant Paul. Imol. Roman. & Aret. in dict. §. Quod per colonum. Idem Paul. in dict. leg. Qui bona fide, & ita etiam expressè tenet & declarat Bartol. in dict. leg. Quod meo, col. 2. in fin. num. 6.

68 Attende tamen singulariter, quod ista conclusio & communis opinio debet intelligi, quando colonus vel inquilinus conduceret ab hærede actualiter insistens in ipsa re, vel in conspectu rei: secus tamen esset si conduceret in absentia rei; quia tunc nulla possessio quæritur hæredi locatori: ita singulariter Joan. de Imol. in dict. §. Quod per colonum, reputans esse notabile in practica: & idem tenet ibi Roman. Franc. de Aretin. Adde tamen, quod si postea colonus vel inquilinus revertitur, & ingressus sit rem conductam: statim erit quæsitæ possessio hæredi; quia per locationem factam ab hærede videtur commissum colono, ut habeat & teneat rem nomine locantis, & ipse colonus quando ingreditur, videtur habere & tenere nomine ejus; unde acquireret ei possessionem tamquam procurator: ita singulariter & subtiliter solus Aretin. in dict. §. Quod per colonum. 2. col. num. 6. Sed attende valde singular. ultra omnes, quod ego teneo contrariam sententiam, imò quod etiam in absentia rei fiat conductio, acquiritur statim possessio hæredi: quia considero, quod in absentia retinetur detentatio civiliter in animo: quando est justè quæsitæ ex licito contractu, vel iudicis autoritate, & operatur omnes illos effectus, quos operaretur si detentator esset præsens in re: ita probat textus singularis, & unicus in l.

Si finita: §. Si quis metu; supra, de damn. infect. quem ad hoc notat & commendat Angel. & reputat singularem Paul. & Roman. & dicit fortè non alibi Imol. probat etiam textus notabilis subtiliter adductus in leg. Si colonus. ff. de Acquir. possess. ubi dicitur, quod si colonus animo non deserendæ possessionis exit de fundo, & eo redit, dominus & locator retinet per eum possessionem civilem & naturalem: & sic subtiliter probatur, quod colonus retinet in absentia detentationem rei, mediante qua locator conservat suam possessionem, ac si colonus actualiter esset in ipsa: & ad hoc illum textum notat ibi solus Paul. in princip. probat etiam singulariter text. subtilis in leg. Qui universas. §. fin. ff. eod. tit. ubi dicitur, quod si ego possideo per colonum inquilinum, commodatarium, vel depositarium, licet aliquis eorum locet vel deponat apud alium, semper retineo meam possessionem, etiamsi ille secundus non utatur nomine meo; quia tantum inspicitur animus primæ coloni, inquilini, vel depositarii; & mediante animo ejus, qui adhuc videtur retinere rem in absentia, retineo & conservo meam possessionem: & ad hoc eum ibi reputat singularem Paul. de Castr. Imol. Aretin. & communiter DD. ergo, cum iste colonus vel inquilinus retineat detentationem rei animo in absentia, meritò, conducendo ab hærede, videtur in animo suo deinceps eam habere & retinere nomine hæredis, ac si esset præsens in re, & per consequens statim ei quæritur possessio, & habet locum dispositio text. junctæ Glossa, in dict. §. Quod per colonum, & superior conclusio, & militat ejus ratio: & hoc est subtile & quotidianum. Nec obstat quod in isto casu nullus actus corporeus ipsius hæredis nec coloni tamquam procuratoris videatur intervenire in hac possessione quærenda, unde non videtur posse acquiri: Quia respondeo, quod ille primus actus corporeus, & sic illa naturalis apprehensio & detentatio coloni interveniens tempore quo habuit rem, sufficit; cum videatur semper durare & retineri saltem civiliter in animo: unde ista acquisitio possessionis non est sine actu corporeo: & hoc potest fundari ex sententia & doctrina Bartol. in dict. leg. Quod meo. 2. col. n. 3. & aliorum, ubi dicit, quod civiliter possidens animo in absentia potest transferre in alium illam civilem possessionem, constituendo se nomine ejus possidere, ex prædicta ratione.

69 Sextus actus vel modus per quem quæritur possessio, est quando concedo tibi & permitto habere, mediante aliquo titulo, rem meam quæ est apud te: nam si commodavi, deposui, vel lo-

bavi tibi rem, & tradidi, & postea vendam tibi, vel alio titulo habili ad translationem domini concessi, & habere promisi, statim transit possessio, & quæritur tibi qui rem detinebas, nulla alia de novo interveniente traditione: textus est in leg. Qua ratione. §. Interdum. ff. de Acquirend. rer. dom. textus in leg. Si servus meus, vers. fin. eod. tit. text. in leg. 3. §. Illud quoque. ff. de Acquirend. posses. textus in leg. Si rem quæ apud te esset. ff. de Eviction. textus in leg. Sive autem, versic. Si quis rem. ff. de Public. textus in leg. Ejus rei, cum leg. sequent. ff. de Rei vind. ubi, reus conventus rei vindicatione, si solvat æstimationem ejus secundum quod actor juravit, statim consequitur dominium & possessionem rei existentis apud eum: textus in leg. Certi conditio. §. final. ff. Si cert. pet. ubi, si pecuniam apud te deposui, & postea mutuavi, efficitur tua, & ejus est periculum, etiamsi non moveatur: textus in §. Interdum, Instit. de rerum divis. & ista conclusio & decisio hodie confirmatur per leg. 47. in princip. tit. 28. 3. part. Et ratio est: quia ista voluntas & patientia domini post novum & verum titulum, re existente penes acquirentem, habetur pro traditione ex juris dispositione; & sic, detentatio præcedens mutatur & transfunditur in possessionem juridicam ex novo titulo superveniente, concurrente animo & voluntate acquirentis; & istam rationem colligo ex mente jurium supra dictorum, & ista est mens & intentio Doctorum ibi. Et in tantum ista conclusio & doctrina est vera, ut procedat etiamsi tempore, quo conceditur novus titulus, res sit in absentia: ita tenet Glossa ordinaria in dict. leg. Qua ratione. §. Interdum, in glossa fin. cum qua ibi transeunt communiter DD. Glos. in dicto §. Interdum, Instit. de rerum divis. & ibi expressè Faber. Angel. Plat. & communiter DD. tenent etiam Bartol. Alberic. Angel. Paul. & communiter Moderni in leg. Certi conditio. §. final. ff. Si cert. pet. & ista est vera & communis opinio; licet Glossa in leg. Sive autem, versic. 1. ff. de Public. velit contrarium; & Christophorus in dict. §. Interdum, & aliqui DD. Et pro communi opinione est hodie Lex Partit. supra allegata. Facit etiam ratio: quia si esset in præsentia, non esset dubium, nisi quod quæreretur, ut in leg. 1. §. Si jusserim. ff. de Acquirend. posses. cum similib. est supra dictum. Nec huic communi opinioni obstat textus in leg. Hac si res. ff. de Rei vindicatione, ubi, reus conventus rei vindicatione, qui solvit litis æstimationem, ita demum consequitur dominium & possessionem rei, quando erat res præsens: Quia respondeo, quod præsens dicitur esse, quando est penes ipsum reum con-

ventum: & ita solvit ibi Glossa ordinaria 1. & sequuntur plures DD. & tenet expressè Din. regul. pro possessore, de reg. jur. in 6. 4. quest. Vel secundò respondeo, quod ille text. loquitur, quando non intervenit verus & expressus titulus, sed tacitus, & insuper res non erat penes illum de voluntate domini: In conclusione verò nostra superiori intervenit verus & expressus titulus, & res erat penes acquirentem de voluntate domini: ita Odofred. Alberic. & Angel. in dict. leg. Hac si res, & ita etiam solvit & declarat Bartol. Bald. & communiter Moderni in dict. leg. Certi conditio. §. final. ff. Si cert. pet. & notabiliter Joan. de Imol. in leg. 2. §. final. ff. de Usucap. pro emptore. 3. column. Adde tamen, quod ista conclusio & opinio communis debet intelligi (licet nemo tangat) quod, re existente in absentia, transfertur possessio, scilicet civilis tantum, non verò naturalis: quia cum illa, etiam postquam est quæsitæ, non conservetur nec retineatur in absentia, ergo nullo modo acquiratur, argumento text. & ejus regulæ in leg. 1. §. Quod autem ait prætor. ff. de Superficie. cum similib.

Attende tamen, quod contra supra dicta facit urgens ratio: nam in isto casu quo res est in absentia, nullus actus traditionis videtur intervenire, qui semper requiritur in quærenda possessione, sed tantum intervenit voluntas & titulus domini & possessoris: sed constat hoc non sufficere, etiam concurrente voluntate quærentis: unde in nostro casu non videtur posse quæri possessionem. Sed sustinendo superiorem conclusionem & communem doctrinam Doctorum respondeo notabiliter, quod ille penes quem detentatio rei erat, retinet civiliter in animo in absentia illam detentationem & effectum ejus, ut supra bene probavi in superiore proximo actu ficto: unde, ex titulo & voluntate domini concedentis rem, acquirit detentator possessionem ejus ex juris dispositione; quia cum videatur esse in re & ejus detentatione saltem civiliter in animo, nunc illam rem intendit in animo habere & possidere ex novo titulo & concessionem domini, & illa detentatio præcedens mutatur in possessionem juridicam: unde meritò dixi, quod illa possessio quæ in nostro casu quæritur in absentia, tantum erit civilis; sed si in re vel in præsentia rei concederetur titulus à domino, esset quæsitæ utraque possessio: & ista est nova vera declaratio & intentio superiorum jurium. Pro qua sententia & declaratione considero expressum & subtilem text. in dict. leg. Certi conditio. §. final. ff. Si cert. pet. ubi dicit textus quod si deposui penes te pecuniam, & postea permissi tibi ea uti, statim transit dominium &

possessio pecuniæ; etiamsi non moveatur: & subjungit textus rationem, *animo enim cepit possidere*: ergo patet, quod pecunia erat in absentia; quia si in presentia, animo & corpore possideret, & similiter est ibi casus, quod tantum erit translata possessio civilis, cum textus dicat, *animo enim cepit possidere*: ergo solum civiliter & illa civilis quaritur eo modo quo supra declaravi.

71 Item adde, quod superior conclusio & doctrina debet intelligi, quando dominus concedens titulum sciebat rem illam esse penes acquirentem; secus autem si ignorabat: ista est Glossa singularis in leg. *Quædam malier. ff. de Rei vindication. in glossa penultim. in fin.* quam dicit singulari rem Roman. in dict. leg. *Certi conditio. §. final* & ibi Jas. 2. column. similis Glossa, quam DD. non allegant. in dict. leg. *Hæc si res. ff. de Rei vind. in glossa 1. ubi ponit notabilem rationem, scilicet, ne sit occasio quod dominus decipiatur, & eo invito careat sua re & alteri applicetur: argumento textus in leg. *Nec quasi, eod. titul. de rei vindic. cujus verba sunt: Ne in potestate cujusque sit per rapinam ab invito domino rem injusto pretio comparare, quam Glossam ibi sequuntur Bartol. & communiter DD. in dict. leg. Hæc si res, & illam Glossam ad hoc dicit singularem Aretin. in dict. leg. Quod meo. 2. column. num. 6. quo casu, quando perveniat in notitiam domini, erit in potestate ejus restituere pecuniam quam accepit, & recuperare suam rem: ita singulariter tenet & declarat Paul. de Castr. in leg. 1. ff. Pro emptore. 2. column. in fin. argumento text. in leg. *Is qui furti actionem in fin. ff. de Furtis.***

Item adde, quod in tantum est verum, quod si ex titulo vel causa habili ad translationem domini dimittit rem quæ est apud te, transfertur in te dominium, vel usucapiendi conditio; ut procedat, etiamsi illam rem prius non haberes ex mea voluntate, sed haberes a quolibet alio tertio: text. est notabilis & expressus in leg. *Non solum. §. Quod vulgò post principium, infra, de usucapion. & ibi ad hoc notant Bartol. Paul. Cuman. & communiter DD. idem Bartol. ubi notabiliter loquitur in leg. *Cum solus. 2. column. num. 4. versic. Secundò casu, eodem titul. & ibi Paul. fin. column. num. 5. Imol. 2. column. ante medium, & notat ibi Cuman. 2. col. ante medium, facit etiam text. in leg. 2. §. Si pro emptore. text. in sui generalitate, in leg. *Qui bona fide. §. fin. ff. de Acquirend. posses. textus in leg. *Ejus rei. ff. de Rei vindicat.****

Sed attende, quod contra superiorem conclusionem & communem doctrinam, quæ habet, quod ille penes quem res dimittitur mediante aliquo titulo, statim acquirit dominium vel usu-

cipiendi conditionem sine alia traditione, facit ille singularis text. in leg. *Sive apud acta. versic. 1. Cod. de Transact.* ubi probatur, quod si quis petit à Possessore rem vel fundum, & fiat inter eos transactio, ut aliquo dato, actor dimittat rem penes reum conventum, & discedat à lite: tunc non transfertur dominium, si actor erat dominus, nec usucapiendi conditio, si non erat dominus; sed tantum paratur reo exceptio, si amplius ille fundus repetatur ab actore vel successoribus ejus: quod probat ibi textus dum dicit, *tamen rerum vindicatione pendente*: quia si, facta transactio & litis desistentia, remanet actori rei vindicatio, ergo dominium, ut in leg. *In rem actio. ff. de Rei vindicat. & ad hoc illum textum notat ibi Glossa ordinaria in verb. *Pendente.* Bartol. 1. lectur. in fin. Angel. 2. column. num. 4. Bald. penultim. column. num. 9. Paul. 1. column. num. 4. Salycet. 6. column. num. 15. Jas. 3. column. numer. 14. idem probat text. singularis & subtilis in leg. *Si pro fundo. versic. fin. eodem tit.* ubi dicit text. quod si actor ex causa transactionis dimisit rem apud reum conventum, & postea res illa evincatur ab aliquo tertio, non tenetur actor de evictione, qui de jure teneretur, si ex natura contractus & dimissionis rei veniret translatio domini: & ad hoc illum textum notat, & dicit perpetuo menti tenendum Bartol. in 3. notabil. Bald. in ultimo notabil. & ad hoc dicit eum singularem Angel. ibi, in princip. Paul. 2. column. num. 7. & dicit ibi unicum Alexand. 2. column. ultimo not. & dicit unicum Jas. penultim. column. 6. not. & eum dicit singularem ibi Jacob. de Sancto Georgio ultim. not. & ad hoc illum textum dicit unicum Bald. in cap. 1. in fin. de Controversia inter Vasallum & alium de benefic. in lib. 2. Feud. & dicit unicum Jas. in leg. final. Cod. de Jure emphyt. num. 122. & per ista tenet & expressè Glossa ordinaria in leg. penultim. Cod. de Usucap. pro empt. & Bartol. Alberic. Petr. Cin. Bald. Salycet. Paul. & communiter DD. Glossa in leg. *Stipulatio ista in princip. ff. de Verbor. oblig.* quam ibi notat & commendat Ang. 1. column. num. 4. & ibi Imol. 3. column. versic. *Et notat diligenter.* Roman. 4. column. num. 10. Jas. in §. *Si quis forte, ejusdem leg. 2. column. num. 7.* dicens esse singulariter notandum pro Principibus & Regibus facientibus ad invicem pacem, & promittentibus in capitulis non movere controversiam de castellis, locis, vel oppidis per eos possessis; quia per hoc non videtur translatum dominium de uno in alium, nec possit agi evictione. Facit etiam textus in leg. *Si super possessione, textus in leg. *Si quis major, eodem titul.***

ibi:

ibi: *Et verum proprietate careat, & per illum textum in dict. leg. *Si pro fundo, ita tenet & declarat Bartol. in leg. *Naturaliter. §. Nihil commune. ff. de Acquirend. posses. 3. column. post medium, versic. Pro declaratione hujus lectione & ibi Aretin. 4. column. in fin. Socin. 9. column. vers. *Secunda conclusio.* Alexand. 13. column. num. 39. Jas. 13. column. num. 57.** Ex quibus etiam resultat verus intellectus, & declaratio ad textum in leg. *Postquam liti. Cod. de Pactis, ubi habetur, quod si quis renuntiat liti, & causæ, amplius ad eam redire non potest, ut non transeat dominium reo, sed tantum quaratur sibi exceptio: ita Bartol. & DD. in dicto §. *Nihil commune in locis, columnis & numeris allegatis.* Confirmatur superior conclusio & decisio per textum, quem reputat ibi singularem Bald. in leg. *Si te. Cod. de Ingeniis & manumiss.* ubi probatur, quod ille, qui renuntiat, non videtur fateri, adversarium habere jus: Commendat etiam per notata Alexand. in dict. §. *Nihil commune. 14. column. num. 39. Jas. num. 58.* Sed respondeo notabiliter, quod superior conclusio & doctrina procedit, & habet locum quando res dimittitur penes aliquem ex causa & titulo habili ad translationem domini, ut venditionis, donationis, vel similis: secus tamen est quando dimittitur ex causa vel titulo non habili ad domini translationem; quia tunc non transfertur: transactio verò, per quam dimittitur res apud reum conventum, non est titulus habili ad translationem domini; quia actor & dominus, qui ex causa transactionis rem dimisit, non intendit à se abdicare dominium, sed tantum à lite recedere, ut in leg. *Fratris. Cod. de Transact. & ille qui retinet rem, retinet ut propriam, & non ut rem actoris, & sic non dicitur ab eo causam habere: unde, meritò dominium non acquiritur, argumento textus in leg. 3. §. *Subtilius. ff. de Condit. ob causam, & in expressò illam solutionem & rationem, licet non sic declaratam, ponit Bald. in dict. leg. *Si pro fundo in fin. Cod. de Transact. & notabiliter Paul. de Castr. ibi, fin. column. ubi dicit, ista esse subtilia & singularia: & tenent communiter ibi DD. in leg. penultim. Cod. de Usucap. pro empt.*****

Ex qua subtili & notabili solutione & ratione 1. infero, quod talis possessor, penes quem res fuit dimissa ex causa transactionis, si cadat à possessione, non poterit agere rei vindicatione contra tertium possessorem, nec contra ipsum actorem & dominum, si sine vitio res ad eum pervenit, cum non fuerit dominium ex prædicta causa translatum: argumento text. in leg. *In rem actio. ff. de Rei vind. & in leg. *Si quis emptionis. §. Quod si quis eam rem. Cod. de Præscrip.**

30. vel 40. annorum. Similiter, si actor qui dimisit rem non erat dominus, non erit translatum quasi dominium in eum, penes quem res fuit dimissa: unde, si cadat à possessione, non poterit agere Publiciana; quia ille titulus qui non est habilis ad acquisitionem domini, nec ad causandam rei vindicationem, quando est habitus à domino; non est habilis ad acquirendum quasi dominium, nec causandam Publicianam, si est habitus à non domino: textus est, qui istam regulam ponit, in leg. *Quæcumque. ff. de Publician. & ibi Bartol. Alberic. Bald. & communiter DD. & probat apertè textus in leg. 1. *Cum sex legib. sequentib. eodem titul. tenet Glossa in §. Sed iste quidem, in verb. *Ex justa causa, Institut. de Action. & ibi communiter DD. Bartol. in leg. *Cum vir. 2. column. in fin. ff. de Usucapionibus.****

72 Secundò infero, quod ille penes quem res dimissa est virtute transactionis, non poterit usucapere, vel præscribere, concurrente tempore legitimo & bona fide: ista est Glossa notabilis & ordinaria in leg. penult. Cod. de Usucap. pro empt. in glossa una, in princ. & istam tenet ibi Azof. in summa illius titul. fin. column. in fin. num. 29. Petr. Cin. Bartol. Alber. Angel. Bald. Salyc. Paul. & communiter DD. istam conclusionem tenet Glossa ordinaria in l. 1. ff. Pro emptore, in glossa 1. in princip. & ibi Bart. in princip. Alber. Angel. Imol. Paul. de Castr. & communiter DD. Cujus ratio est: quia in casibus, in quibus causa, vel titulus habitus à domino non transfert dominium, in eisdem causa vel titulus habitus à non domino non debet transferre usucapiendi conditionem: argumento textus, & ejus regulæ in leg. *Clavibus, in fin. ff. de Contrah. empt. & in hac ratione se fundant omnes DD. ubi supra.*

Tertio infero, quod si res non dimittitur ex causa transactionis, sed potius datur & traditur ab uno alteri, ut si actor qui movebat litem, vel sperabat movere, ex causa transactionis tradidit reo aliquam rem pro recuperanda re petita; vel è contrà, reus pro retentione rei tradidit actori aliquam rem: ille cui fit traditio efficitur dominus, si tradens erat dominus; si verò non erat dominus, poterit usucapere vel præscribere tamquam si alio legitimo titulo traderetur: ita probat textus expressus, & iste est ejus proprius casus, in leg. penult. Cod. de Usucap. pro empt. cujus verba sunt: *Ex causa transactionis habentis justam causam possessionis usucapere possunt, & ita tenet & intelligit ibi Glossa ordinaria, & communis opinio DD. & ita tenent & declarant Bart. Paul. & communiter DD. in dict. leg. 1. ff. Pro emptore, & per ista conclusionem facit text. singularis & expressus in dict. leg. Si*